

V/c
3100



h.



h. 27, 27 207

Vc
3100


CARMEN
DE ARTIBVS BEL-
LI ET ARTE IVRIS
SIVE PACIS.

Cui insertæ sunt laudes siue

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC D. D. CHRISTIANI II.
Dei Gratia Electoris Saxonix futuri
Elogium.

A

Iohanne Placotomo Dantiscano, Medicæ
& Metallicæ rei studioso.



DRESDÆ.

M. DC.

P B



CARMEN.

De artibus belli & arte Pacis aut Iurisperudentia.

Summa viros geminae res ad fastigia tollunt
Illustres statuuntque æterna & laude coronant.

Altera erit virtus præstantum pectore forti
Hostiles acies sapienti fundere dextra
Ars quibus & latè depellere finibus hostes
Seruatis patrijs aris, domibusque suorum.

Horum prostratam pia dextera restituit rem
Præsidij, redijt Pax exoptataque ferro.

Talis Græcorum murus fuit inclytus Hector
Euerforque Ilij ingentis truculentus Achilles.

Tali Carthago quondam Duce fisa triumphans
Vexabat miris qui Romam sæpè potentem
Ære virisque modis, donec dimissus Olympo
(Heroes pariat nam illustres cernis vt æther)
Astrorum influxus quos magnis excitat ausis,
Scipiades clades Lybiæ, belli que tremendum
Qui fulmen: Carthago cuiusfunditus armis
Artibus inuentis varijs multoque labore.

Eruta, nam non ante fuit Pax expectanda,
Aut Romæ licuit certam sperare salutem.

Quam versa in cineres Lybiæ Metropolis esset.
Heroum illustris passim horum fama per orbem
Et post mille aliquot superat memorabilis annos:

An tamen his cedant, vel honoribus inferiores
Aulæ consilijs quorum celsæ amplaque regna
Ritè gubernantur? memorat diuinus Homerus
Nestora prudentem talem linguaque potentem
Plurima versantem & prudenti pectore Vlysses?

Qui



Qui res Græcorum magno turbante tumultu
Composuere animi grauitate adoperta vetantes
Gliscere late odia, hæc quoniam certissima pestis
Visa in præsentem perducens regna ruinam.

Ergo felices aulas & regna beata
Sunt vbi consulti Iuris, queis plurimus vsus
Est rerum, Pietatis amor quos ornat: ipsos
Quod nec postremum est animi moderatio pulchra,
Iudicij quoque dexteritas, & prouida cura.

Ni cohiberet enim legum veneranda potestas
Insanos hominum motus caecosque furores
In summis esset confusio pessima regnis.

Nec grauiora minus metuenda pericla per urbem
Essent obsessis, quam extrema ex hoste minante.

Roma caput mundi cum summo in flore vigeret
Audiuere viros capitolia sæpe disertos
Orantes causas circumstantesque Quirites

Oratorum illic veneranda corona potentum
Conspicienda fuit nullo post visaque sæclo,
Tullius hic primas tenuit sed laus quoque magna
Antoni & tua Crasse fuit: vos prædicat ipse
Quin Cicero indictus nec ibi est Hortensius acer.

Sic ELECTORIS cui sit longæua FVTVRI
Ætas Saxonæ felices arbitror aulas.
Saluificum verbum quando huic antè omnia curæ
Terrícolas ducit quod solum ad sydera cæli
Syncerè Domini verbum pureque docentes:
Nam ciues vt resque horum cum laude gubernent
Præfecti impensè DIVA cum MATRE laborat,
MARCHIACÆ hæc est gemma DOMVS, Flosque inte-
Gloria virtutum quibus ornatissimè fulget (meratus,
Huius præsentis post fata haud eximet æuo

A 2

Eximiam

Eximiam laudem benefactaꝝ plurima, Nomen,
 LIVIÆ eam DRVSILLÆ ausint conferre poëtæ
 CÆSARIS AVGVSTI quæ laudatissima coniunx;
 Salve augustorum proauorum & cresce Propago,
 O Auguste nepos AVGVSTI, Christicolûm quo
 Non hodie Princeps, vt famapotentior extat.
 Tu specimen perhiberis Aui. Dux optime DIVI
 Quem summas propter virtutes nouimus omnes
 Christicolum Proceres veneratos esse decenter.
 Viuite felices, Diua cum Matre Domoquè
 Saxonix PRINCEPS; Et te qui ætate sequuntur;
 De quibus ante annos aliquot spes concita magna,
 Et quæ post primas sese exerit Indole cunas.
 O vtinam videam, multi optauere videre,
 Alme DEVS, facias Fatale VIRESCERE SERTVM,
 Sertum RVTÆ iterum certum est aliquando virescet
 Nam non sacra solent oracula ludere Vatum
 Est Ditio quæ æquare queat vel Nobile Regnum
 Inclyte Saxonix tibi DVX, ditissima & ampla
 Est eadem; Terras foecundas munere felix
 Omnipotentis habes. ARCES quid carmine pandam?
 Munitas mirè fossis atq; aggere fortes
 Christicolum quas vix temerè aggrediatur & hostis,
 Egregiasuè vrbes armis populisque refertas:
 Eminent inter quas structuræ insignis honore
 (Vt decus arboribus Syluæ plenæ ardua CEDRVS.)
 Et Domuum splendore DVCV M gratissima Sedes
 DRESDA, huius rerum moderari constat habenas
 Doctos, de rebus & qui decernere gnari,
 Multaque canicies quorum veneranda notauit,
 Commissoque regunt perpulchrè & legibus æquis
 Ordo vbi seruatur bonus estque harmonia concors,

Sunt

Sunt tibi centum auri mille argentique talenta
Rex habet haud vllus quæ forsan in orbe parata,
Præterea omnimodus quæ ARMORVM postulat vsus
AVGVSTI DIVI quæ quondam cura Paterna
Comportavit AVI: attonitusque hoc audiit Orbis
Qui medijs dominus TVRCA, hoc neq; iactitet, hostis.
Militiæq; DVCEs virtute fideque probatos
A prima graue Martis opus qui ætate secuti
Ære tuo certos seruas & nutris in vsus.

An referam Venas argenti, aut Flumina: pisces
Præstantes satis alta ferunt: Syluasque ferarum
Armentis foetas plenis: Quin Bachicus humor
Nascitur his etiam neque contemnendus in oris
Et coctæ Cereris gratissima dona palato.

Nescio qua Re non clemens DEVS ergo beando
Saxonix Terras alijs magis auctet & ornet
In vita quibus est opus hic nil deficit abestq;
REGIA quid memorem Monumenta & sacra LYCÆA
Artium vbi omne genus proponitur ingenuarum
A claris variè Doctoribus atque Magistris.
ILLVSTresq; Scholas complures sumtibus amplis
Fundatas, formatur vbi delecta iuuentus
Olim qua gaudere Aulæ aut Ecclesia possint.

Num taceam antiqua qui nobilitate creati
Quos decorant clari proavi generosus & ortus
Aprimis studijs imbutos gnauiter annis,
Donum iudicij quibus est facundaque lingua
Tales ostentare potest amplissima mundo
Thesauri Ditio multos, tua ducō quod instar.
Electōr quis te non prædicet esse beatum:
Quondam è stirpe tua qui egressi splendida fulget
Cæsaribus gens Saxonix: Geminos gerit Enses

Stemma Electorum vetus, est suus hisce character
Tot serie annorum, frustra nec is inditus olim.
En dubitamus adhuc? Vestigia aperta videre est:
Regia PRINCIPibus verè atque heroica virtus:
Cæsareus sanguis, quorum & sunt stemmate creti
Hos monet instigans reuerenter habere MONARCHAM
CHRISTICOLVM, faciunt & idem pietate iubente
Et veneraturi, dum præsens vita manebit.
Nam quos IMPERII statuit CAPVT ipse IEHOVA
Hos omnes summo quoque vult vt honore colamus.
Incultat FRIDERICVS idem benè multa monendo
Quæ sint Principibus laudi decorique futura
SAXONIÆ VVILHELMVS erit cum plenior ætas.
Ingenita hæc virtus vt vtrinque PARENTibus horum est
CVRATORE magis crescit formata fideli.
Tradita CVRA DVCVVM nec enim sine Numine Diuum:
Omnia sublimis moderatur & indole celsa,
Indita Mens veluti huic HEROICA sic quoque motus,
Assidue hunc agitant illustri Principe digni
NOMEN habet placidæ quod sit studiosus amansq;
PACIS: & hac res est hodie haud diuinior vlla
Nam sub ea florent vrbes & regna beata,
Nomen vt innuerat fatale respondet & OMEN
Cælitus infusa est prudentia tanta Duciq;
Pacífico sapiens quæq; aggrediatur vt ausu
Vi gerit Ille nihil mediante sed omnia Iure,
Consilia ergo DEVS quicquid meditatur agitque
Sospitat, enixè studet vt COMMVNE iuuare
Atque augere BONVM, summe huic RESPVblica curæ.
CHRISTIColumque SALVS: studiosus Numinis almi est
Cultor, & ambigitur studiosior an pietatis.
CHRISTICOLVMq; CAPVT veluti reuerenter honorat
Sic

Sic cum Principibus vicinis foedere gaudet
Viuere concordī : quoniam furialis Erynnis
Aduerit instantis secum genus omne ruinae,
ORDINE quæq̄ suo bene digerit, aureus Ordo est :
Consilia in classes disponit singula certas :
In certis sunt qui mittantur ad extera Regna
Causis, delecti Iuris legumq̄ periti,
Sunt quoq̄ quos tua cura vetat discedere, serues
Quosquē domi : quorum haud expressero carmine plena
Pectora consilio prudenti, animosque sagaces.

Hic quoquē perprudenter agis velut omnia, Princeps,
Ut sint, quando opus est, quos præsens consulat **A V L A**
Ex quibus Oraclum ceu Diua ex Themide manet.
Qualis **C V R A T O R**, tales spes alta, futuros
S A X O N I Æ esse **D V C E S**, neq̄ nos certissima fallat.

Quid tibi pro tantis meritis **G E N S S A X O N A** soluet,
Aut poterit summam dictorum æquare laborum ?
Vel **B E N E F A C T A** quibus **P R I N C E P S** hanc celse beasti.

Olim duxissent viuos è marmore vultus
Aut ære ex fuluo dabat olim quale Corinthus
Educta haud dubie vel Pyramis alta fuisset,
Ingenti positus vel vastus mole Colossus.

Sed nihil hæc **P R I N C E P S** ô Illustrissime curas
Sat tibi gestarum est insignis gloria rerum ?

Nec modò **S A X O N I Æ**, prece supplice si sapis **O R A**
Viuat ut ipse diu, Germania tota precetur
Ut suus hic Oculus Lumenquē decusq̄ perenne est.

Omnipotens tueare **D V C E S** seruesq̄ benigne
Saxonix, atquē horum terris auerte ruinas,
Ne studia intereant pietatis diruta Marte,

Concidit

Concidit omnis honos Legum quo prædominante
Compositique hominum mores & Ciuica vita,
Sic passim sine fine tibi iuuenesque senesq̃,
Templa Scholæque tibi præconia debita pfallent.



Handwritten blue ink scribbles, possibly a library stamp or number.



DRESDÆ.
Typis Gimelis Bergen, Anno

M. DC.

Handwritten blue ink mark, possibly '70'.




ULB Halle
004 975 960

3







h. 27, 27 27

Vc
3100

